

## VITA CATONIS QUAE DICITUR SUETONII

*Illustris oratoris historicique M. Porcii Catonis Maioris vitam, cuius fragmentum subiectum est, Bobulus Confluentinensis, ut opinor, adolescentulus inter omnes huius temporis librarios magno ingenio captus, sub falso nomine scripsit et magno cum ioco posteris commilitonibus universitatis Moguntiaci prodidit. Extant in codice Moguntinensi rescripto ceteri lusus ingenii, qui diu C. Suetonio Tranquillo attribuebantur, sed hodie quasi ad genus apte cuiusdam Pseutonii dicuntur, de quo alibi mentionem feci.*

Memoriam cum in negotiis publicis tum in domesticis rebus laboriosissime exercuit, ut omnium civium non nomine modo se assuefaceret, sed et loco, in quo insignior habitaret, et amicis, quibus uteretur. Ut rustico instrumenta, sic quoque urbano civica non ignoranda existimans eadem diligentia omnis infimos nominatim ac memoriter salutavit. Nihil autem maius orationi habendae quam recordationem arbitrabatur perseverabatque senectutem adeptus in extemporali facultate dicendi. Saepe itaque illa obmurmurabat: „rem tene, verba sequentur” et „oratorem memorem esse oportet”. Quod putasse videbatur et Cicero in sermone de senectute scripto inducens Catonem protagonistam disputantem.

Apparuerunt tamen summa in senecta quaedam signa deterioris ingenii, ut et dementia vexatus et immemor decedens existimetur. Nam convivio dimisso senex, cum domum revertens viam invenire non posset, in multam noctem circum vicos vagabatur, donec paulo ante lucem in angiporto stertens a filio repertus translatusque est in locum tutum. Dein paucos post dies in invidiam familiaris venit, quem alterius nomine vocavit.

Atque etiam convocato senatu legem dissuasurus et adgressus obloqui gemitu repente edito inceptum media in voce abruptit. Conatus deinde iterum ac saepius resumere, quamvis nullo querente, denique exclamavit „vae oblivioso mihi!” inque solum concidit. Sunt qui putent eum oblivionis causa aegrum simulasse; alii, ne oblitum quidem omnino, sed die in dicendo exempto defessum non prius collapsum quam admonuisse, ut Carthago esset delenda. Ex eo tempore abstinuit congressu hominum prae pudore, ut nonnulli urbanorum senem et sui oblitum esse ioculariter scriberent atque etiam a plebe mox cantarentur hi versus:

Hesterno iuvenes monuit Censorius ille;

omnia tunc tenuit, nil Cato nunc meminit.